

1990-12-04 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘In Siciliae’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

IN SICILIAE

**CAPITULARIS ECCLESIA SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS,
IN EPISCOPALI IACA REGALI EXTANS URBE,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – In Siciliae vetustissima, pulchra et clara Iaca Regali urbe insignis quidem exstat capitularis ecclesia Sancti Sebastiani martyris, caelitis Patroni eiusdem civitatis, quae structurae genere «Baroco Siculo» annis MDCXCIII-MDCXCIX post gravem terrae motum iterum aedificata atque artis operibus ornata miris – picturis praesertim ac statuis –, nunc notum est centrum spiritualis vitae operumque pastoralium, sacrae liturgiae et caritatis. Qua re, cum Venerabilis Frater Iosephus Malandrino, Episcopus Iaciensis, litteris die XVIII mensis Septembris hoc anno datis, etiam Decani-Rectoris ecclesiae clerique populi que sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, paternae benevolentiae Nostrum tum illi sollerti Praesuli tum dilectissimis filiis eius concreditae curae cupientes praebere, ad motis precibus censem libentes obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica summa usi potentate, harum Litterarum virtute, perpetuumque in modum capitularem ecclesiam, de qua mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Decembris, anno MCMXC, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, *archiep.*
Prosecretarius Status